73

Mi P. Athanasi.

P. C.

Aliâ epistolâ fusè ad RV^am scribo. hac eadem occasio-
ne; inqua RV^ae mitto dedicatoriam libelli, A. R.
Patri nostro dedicandi: exciderat mittere rudem pictu-
ram, Libello, per modum frontispicij insculpendam.
ex fronte credo intelliges, totius opusculi argumen-
tum. velim pro amicitiâ nostra, ad P. Assistentem Germa-
niae adeas, abeoque impetres, ab A. R. P. nostro facul-
tatem obtineat libelli imprimendi. quae facultas
mittatur in Flandro-Belgium ad P. Provincialem
Franciscum de Cleia, cui etiam super hoc
negotio scribo. Pater mi, qui animarum causa
huc venimus, nihil minus quam animas habemus.
Nullae omnino hic sunt missiones, quales olim, ve-
rum defectu Indorum mansuetorum, qui plerique
iam laboribus absumpti. Barbari feriores, deserta
sicut ferae, incolunt, et incertis locis sedibus vagantur;
nec est ullus accessus ad illos Evangelij causa.
PP. Itali qui ab Europa huc venerunt, gemunt
et desperabundi extreme meditantur, nisi omnes
revocentur. Non possum plura super hoc argumento
de quibus haudubiè informabitur P. noster, faced
atque officium Patris. Ego hic pene otiosus
sedeo, nullo operae aut pretij fructu; et, medicum
talentum, quod Deus mihi dedit, sepelio plenus
maerore. et haudubiè nisi me mathematicis
diverterem contabescerem taedio, sicut alij. P.
Afraeynthus de Magistris multa referet, quod
stupeant Romani. Tu mi P. pro amicitia, cum
Assistente sive Germaniae sive alio transige,
si vis animam meam salvam, ut quamprimum,
cum alijs, qui certo sunt redituri, revocer.
Si forte desideratur in Italia mathematicus
quo unicè propendeo, effice ut veniam. Non

mirere quod sic scribam, neque puta me pusillanimitudine duci. puto coram Deo me
obligari et urgeri ad hoc procurandum. Non possum chartis credere causas. intelliges
ex literis aliunde datis ad PP. Romanos, à PP. Italis quibuscum vivo. Non est
autem difficile nos hinc evocari, quia quotannis ex Brasilia cum onerarijs
P. Brasili ordinandi Olyssiponem concedunt. Dic oro P. Carolo de Noyelle Assistenti
Germaniae, quod nisi A. R. P. noster quantocius PP. evocet, graviter in vocatione
periclitandos, non vitio suo, sed quia sic putant solum se salvari posse.
Credo enim me extra societatem vivere, quia ea inqua sumus toto caelo
à societate JESU differt. quantum degeneravit a primaevo, qui aliquando in hac
provincia viguit spiritu, pudet dicere et erubesco fateri. Non volo in plura
excurrere. In plura à P. Assistente intelliges. et P. noster cum intelliget, per hos,
desiit. Missio Maranhonensis pene corruit, aut siquae sunt reliquiae, nullo fructu
laborant nullo gustu, quemadmodum ad nos perscribitur. Claudo has quia non esset
finis querelarum et lustrarum(?) lacrymarum, quas tu mi P. absterge si potes. Vale et si me
amas, fac quod te per Deum peto. Bahiae 4 Aug. 1664. totus tuus

Valentinus Estancel
de Castro.

Molto Rdo Padre

Molto Rdo Pre Padrone mio Singolre

20
21

A Whitehall ce 26. Febr.

†

14

Titulus frontispicij.

Coeli Brasiliensis
Oeconomia.
Sive
De benigno syderum influxu &
Temperie.
A. R. P. Ioanni Paulo Oliva
Soc: Iesu Vicario Generali,
Liberalitate
Eximij & generosi Domini
Thome Lopesij de Ulhoa
A.
P. Valentino Stansel à Castro
eiusdem Societatis
Devota

Dedicatoria epistola.

Ad
Admodum R. P. Ioannem
Paulum Oliva Soc: Iesu
Vicarium Generalem

Brasiliæ Cælum, æstivo Solis torrente calidum, ad Olivæ fructiferæ, & speciosæ mitiores umbras properat, P. A. R. Ad summum Oeconomum, qui de thesauris ~~suis~~ sapientiæ suæ in totam qua late patet, Soc: Iesu familiam tempestiva dispensat refrigeria, festina advolat hæc mea, immo tua Oeconomia. Ab Occidente

in ortum, præter congenitum naturæ impetum
(cessant leges, ubi Amor imperat) prona fertur,
remedium, nisi me fallo, tardis incendijs, ab umbra
tua quæsitura. Sub hac pacis Oleâ, post
tot Solis Americani inclementes assultus,
vult requiesse. Securitatem à Paulinis ex-
pectat armis, benevolentiam à Charitibus
Joannis: denique à fronde Olivæ patroci-
nium. Felicem profecto & invidendam, sub hac Triade
Oeconomiæ meæ conditionem! quæ tam facilis quam
audax, in Romanam se penetrat Urbem. Volo
dicere, quæ in Tuum, (pene inverecunda) sinum
insinuat sese. Hic mihi, dolenter, illud Ovidianum
excidit,

Parve, nec invideo, sine me liber ibis in Urbem
Hei mihi quod domino non licet ire tuo.

Patere igitur hunc hospitem, cumque accipe
quo animo peregrinos soles. ab Occiduo Sole, ad
tuos pedes, melius dixero, ad Orientem nuper
Societati nostræ Solem, advolvitur. Grandis
ille quidem nomine; ne mirere, Cælestis est:
mole parvulus, sed qui brevi foliorum nucleo
totam pene coeli Americani Iliadem complexus.
Stylo humilis, quid enim ab Authore extra
Latium, latinitatis, aut eloquentiæ expectes:
quid à Brasilo calamistros, nisi inconcinnam
barbariem præstolere: denique à subdito,
quid nisi exile sperare possis, aut velle mu-
nusculum: quanquam qui tam pusillus venit
non poterit credo à sinu tuo excludi.

Ad Lectorem

Ut fidem meam Amicis Europaeis, & quos potissi-
mum, mihi commune studium conjunxit, (Tibi im-
primis amicissime Athanasi Kircher Romanae Mat-
heseos oraculum, totiusque Naturae sagacissime
promo-conde) exolverem, qua dum abijs in Occidentem
animarum causa anhelo, me obstrinxi, brevem hanc
coeli solique Brasiliensis, qua parte Tropicum
inter et Aequinoctialem definitur, Epitomen horis
subsecivis scripsi. Ubi ut plurimum, de cintem-
perie Aëris clementia, de Astrorum influxibus
eorumque admirandis effectis: de Meteoris, de
Asterismis Australibus: de Lunis ~~Stellis~~ Phasibus:
de ventorum Australium qualitate: de anni tempes-
tatibus: de soli feracitate, ubertate & nobilitate:
de Longitudine & Latitudine: de aestubus marinis:
de fluminum aestuarijs: de frugibus, plantis, arbo-
ribus: de Animalibus prodigiosis, terrae marisque. de
Volucribus, de Incolarum moribus, & genio &c: cu-
riose dissero. Ex occasione paucula quaedam inspersi
de Solis, Lunae, & reliquorum planetarum habitudine,
de spirali & helico motu, rejecta Antiquorum
de retrogradationibus, de Epicyclorum Augibus & anta-
gibus; de Eccentricis de motu Raptûs sequi lento &c:
opinione. Boni consulent Astronomi, si via non trita
imus, si à placitis veteris Astronomiae aliquantum dis-
cedimus. Amicus Plato, amicus Socrates, sed magis
amica veritas. Vale lector, & peregrinum hoc
munusculum, quod ab Orbe novo, per tot, tantaque
~~marium &~~ Oceani discrimina in Europam tuam
~~ime~~ pariter et nostram transmittimus, humaniter
accipe & lege.

+

Ad Lectorem

[illegible]